Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

circumstante plebe choro clericorum psallente apparuit columba in specie niuis utrumque gyro gyrando infra ecclesiam super caput beati memorati pontificis residentem. Et in medio ecclesie ad eius uigilis sepulchrum subito nebula exalans et columba euanuit ex oculis eorum. Et omnis plebs ut uidit dedit laudem deo dicente domino in euangelio. Sic luceat lux uestra coram hominibus ut uideant opera uestra bona et glorificent patrem uestrum qui in celis est. Laudate ergo patria Colonie que talem meruit habere pastorem deuotionem. Gaudeat et terra donorum celestium iocunditate repleta. Exultabunt cultores ecclesie Coloniorum que sub canonicorum institutione perclaruit. Gaudebunt et monachi qui subiugo sue defensionis eorum priuilegia restaurauit. Gaudebunt et captiui quando confluentes de toto orbe terrarum tranquillum portum salutis per ipsum inueniebant. Obpressos subleuabat, esurientes saturabat, pusillanimes consolabatur. His dictis mercedibus per diuinam clementiam societatem meruit angelorum. Ideoque sua preclara opera difficile est enarrare atque transcribere qui uiuente Sigiberto inclito rege precibus ipsius atque uniuersis gentibus que ad suum regnum aspiciebant submissis similique amicis pueris condicionibus seruiuit et pro amore religionis intuitu loca sacra sancta instituit. Qui suptis stipendiis per manus artificum ecclesiarum munimenta cultu elegantissimo ditauit. Uixit xl annis digne cathedram pontificalem obtinuit. Transactisque etatis sue annis placita uita idibus Nouembris celitus ad dominum migrauit. Et ante decebris ecclesie beati Clementis quam ipse construxit corpus sanctum suum digne

B id. nouembris

sepulture traditum magnam habet ueneracionem. Si quis febre correptus aut stridore dencium fatigatur ad eius sepulchrum fideliter accesserit omni dolore fugato ad locum pristinum a quo uenerat studebit hec regressum ipso adiuuante qui uiuit et regnat in secula seculorum. Amen.

Vita sancti Bricii episcopi et confessoris

Hodie karissimi sanctum uotis nostris fauere posceamus cum eum plurimum apud deum posse noscamus. Ipse enim didicit in suis pressuris qualiter subueniendum sit in miseriis constitutis. Virtutem semper inuidia comitatur, quod hoc exemplo maxime comprobatur. Cum sanctus Martinus signis et uirtutibus ut sol splendesceret et dulcis fama eius longe lateque per populos crebresceret, multi heu episcoporum carpentes laudibus eius preconia, renuentes adornari uite eius testimonia, egerunt ut aliquo ingenio deponatur quem dextra dei exaltat. Interea quedam mulier male conceptum filium genuit cuius sceleris auctor latuit. Itaque episcopi sue uesanie opportunitatem inuenientes consilium inierunt, consilio cum muliere inito crimen Martino impingunt. Martinus autem infantulum sibi afferri iussit, quem brachiis complexus blandiens: Fili, fili, dixit. Puer non cum adhuc septimanam non compleuit in uocem absolutam prorupit: Non es inquiens tu meus pater, sed Iohannes mercator. Unde omnes stupefacti genibus eius se aduoluunt, ueniam petunt. Quibus dignus sacerdos dei iniuriam suam benigne relaxat. Infantem baptizat, Bricium nominat. Quem adultum monachicis disciplinis imbutum presbiterum ordinat. Post discessum uero beati Martini episcopi Turonice ciuitatis sanctus Bricius ad episcopatum successit. Qui tamen cum